

JOSEPHI STARK  
DISSERTATIO  
DE  
MUTATIONIBUS MERCURII IN BAROMETRO.

Ma 2

ОГЛАВЛЕНИЕ

СОДЕРЖАНИЕ В БАРОНОВСКОМ



§. I.

*Suspensionem Mercurii in Barometro, usitatamque illius mutationes, pendere vulgo a pressione aëris incumbentis tanquam causa immediata, tuto hic licet supponere; utpote rem apud omnes Philosophos contestatam, atque experientia non minus quam ratione constabilitam. Aër incumbens nimurum proxime & immediate applicatur Mercurio. Agit ergo ille, premendo agit, agitque in Mercurium pro tota virium suarum energia. Mercurius vicissim reagit pro suarum ratione virium, neque in æquilibrio suspensus hærebit, dum ad eam denique altitudinem consistat, ex qua pressionem exerat sustentandæ toti pressioni aëreæ præcise parem. Perdurabit vero æquilibritas illa tamdiu, dum in fluidorum alterutro vis ipsa premens vel auctior reddatur vel remissior. Ex hac deinde pressionis mutuæ diversitate mutationem Mercurii consequi*

ne-

necessere est; ascensum quidem, aërea, descensum vero, pressione mercuriali prævalente. — Id ipsum confirmatur notissimis Barometri Antliae pneumaticæ rite applicati experimentis, quibus docemur ascensum mercurialem descensumque variari pro ratione aëris magis minusve vel extracti ex campana comunicante, vel in eandem admissi &c.

§. 2. Vulgares itaque, quas in Barometro quotidie observamus, Mercurii mutationes proxime pendent *a viribus relativis aëris & Mercurii*, quippe fluidorum immediate inter se consilientium. Ulteriorem igitur mutationum illarum causam per vestigaturis respiciendum erit ad id omne, quod *professionis illius mutuæ inæqualitatem quandam* quacunque tandem ratione inducere queat, vi scilicet premente in alterutro fluidorum prementium vel aucta respective vel imminuta. Quidquid porro viribus illis respectivis vel augendis reperitur idoneum vel minuendis, id pro vera ac genuina caussa ipsarum mutationum mercurialium haberi debet. Quidquid contra ad mutandas vires illas confert nihil, nihil item in cendiis mutationibus barometricis habere caussalitatis censendum erit.

§. 3. Atque *in aëre* quidem pressio spectari duplex potest, *a gravitate* altera, altera *ab elasticitate* proficisciens; *utraque mutationibus obnoxia*. Vim enim elasticam atque expansivam mutare potest diversus caloris frigorisve gradus, vapores item & halitus tum variæ de se indolis, tum etiam in atmosphæra nostra passim fermentantes, alia similia compressionem aëream variare solita. — Pressionem vero gravitatis

tatis itidem auget minuitve copia diversa atque indoles vaporum & halituum vel aëtu ascendentium vel aëri jam permistorum, pressio inæqualis nubium jam leviter innatantium, jam ingravescientium, atque in pluvias persæpe & nives solutarum; calor expandens, frigus constringens; ventorum mira varietas nunc aërem heterogeneum advehentium, nunc ex contrariis directionibus eundum aërem accumulantium, jam sursum impellentium, jam trudentium deorsum, & cetera. Quæ quidem omnia tum ratione, tum experientia ita sunt nota, ut deductio uberior supervacanea videatur.

§. 4. *Mercurium* quod attinet, is & natura sua, & quia tubulo est conclusus, tot vicissitudinibus, quot aér, haud quaquam subjacet. Venti certe, vapores, & halitus accessu prohibentur. Calor ipse, et si Mercurium utcunque expandere, adeoque etiam specificè possit reddere leviorem, parum tamen aut nihil momenti habet in mutationibus ejusdem proliciendis. Mutationes barometricæ profecto nullam stabilem proportionem servant cum mutationibus Thermometri. Immo constat, jam hieme & frigore summo insignem ascensum, jam æstate & calore maximo insignem descensum, obtinente item eodem caloris frigorisve gradu multiplicem Mercurii variationem notari. Vis ergo caloris frigorisve, saltem ut in Mercurium præcise exerta, se sola parum vulgo, aut nihil confert ad stationem ejusdem notabiliter immutandam; certe pro caussa insigniorum, quas experimur, mutationum mercurialium haberri non potest.

Scholium. Aequa parum venti, vapores, halitus, caloris frigorisve actio in tubulum vitreum, quo Mercurius continetur, valent, prout ex dictis haud ægre intelligitur. — Ceterum illud hic universim monuisse juvat, sermonem mihi esse de Barometro rite instructo, quod tubulum habeat satis capacem, intus lævem atque ab omni emunctum aere, vasculum inferius respective peramplum, Mercurium ipsum a plumbo & fæcibus probe perpurgatum &c.

§. 5. Hactenus cauſas mutationum mercurialium satis idoneas nullas deteximus præter illas, quas diximus §. 3. Quæ cum vel singulæ, vel plures simul junctæ, pressionem aëream notabiliter multisque modis variare & possint & debent, dubitari nequit, quin ab iisdem, si non ut sufficien- tibus, ut cauſis faltem partialibus pendeant mutationes baro- metricæ §. 2.

Scholium. Sed jam gravis quæſtio exſurgit, ſintne cauſæ modo menoratae omnium præcipuæ, aut etiam ſe ſolis ſufficientes; an vero aliæ dentur præterea, aequa validæ, aut fortassis etiam potiores; in ſpecie, an huc referri non debeat gravitas univerſalis corporum totalium, Lunæ præfertim & Solis. — Suspicionem movere potest affertum Danielis Bernoulli cap. 4. eximiæ diſertationis de fluxu & refluxu maris, quæ anno 1740 a Parifiensi Academia præmium retulit, ſta- tuentis, vi Solis differentiam altitudinum atmosphæræ eſſe debere pedum 1700 aëris homogenei; unde fere linearum 20 differentia in Barometris oriretur. Quodſi insuper actio Lunæ, & iorūmque corporum cæleſtium accedere dicatur, quantas in-

de

de mutationes in Mercurio consequi necesse foret. — Eamdem suspicionem confirmat dictum Cl. Pauli Mako Physicæ P. I. p. 282 in hæc verba pronunciantis: *Est ex ordine nostro vir clarissimus, qui expensis Lunæ, atque Planetarum in atmosphærā viribus, in suspicionem venire cœpit, an non inde statæ quædam Mercurii variationes deduci possint: & sane hactenus ejusdem præfigia cum phænomenis plerumque consenserunt.* — Videamus modo, quid subsit veri.

§. 6. *Pressio gravifica tam aëris quam Mercurii, in Barometro æquilibrantium, variationi obnoxia est pro vario scilicet corporum totalium in se situ, accessu & recessu.* Constat enim ex genuina gravitatis theoria, & a summis hodie Philosophis atque Mathematicis exculta, & ex systemate cælesti præsertim cursuque planetario invictissime stabilita, vim gravificam seu attractivam, ut vocant, esse in primis mutuam & universalem, ita ut singula elementa minima corporum omnium totalium, in systemate nostro planetario connexorum, & trahantur a ceteris omnibus & singulis, atque eadem vicissim trahant; eamdem deinde vim attractivam agere quam proxime pro ratione quadrata inversa distantiarum duorum quorumvis corporum in se mutuo gravitantium; esseque a deo universe gravitatem illam, seu attractionem generalem & mutuam corporis cuiusvis in aliud quocunque corpus ejusque singula elementa, in ratione composita ex directa massæ corporis attrahentis & reciproca duplicata distantiæ ejusdem, seu  $= \frac{m}{d^2}$ . Jam vero novimus ex observationibus astronomicis, corpora quædam cælestia v. gr. Solem & Lunam, esse

apogea modo, modo perigea. Eadem ergo corpora cælestia, in perigeo telluri nostræ magis propinquantia, aërem nostrum ipsumque Mercurium Barometri tubulo inclusum, fortius quam in apogeo trahent sursum, pressione gravitatis, quæ deorsum centrum telluris versus urget, ex conflictu virium oppositarum proportionaliter imminuta. Deficit vero magis magisque illa ipsa cælestium corporum attractio pro majore scilicet à terra recessu, futura omnium minima in ipso apogeo, prævalente interea magis magisque tractione terrestri, minus semper minusque impedita. Itaque pressionem gravificam tam aëris quam Mercurii pro majori minorive corporum cælestium distantia vel augescere necesse est vel decrescere. II. Constat ab experientia, corpora quædam cælestia v. gr. Solem & Lunam, magis jam imminere vertici nostro, jam magis inde recedere. Docet vero Statica, ceteris paribus actionem quamcumque magis verticalem esse valentem ad corpus quodvis a superficie telluris verticaliter sursum levandum, quam obliquam. Corpora igitur cælestia, attractionem suam in terram nostram exerentia, etiam pro situ suo magis minusve verticali variabunt pressionem gravificant aëris & Mercurii. III. Efficaciam denique attractionis cælestis, variatæque pressionis terrestris aperte loquuntur phænomena æstus marini, cum vario situ respectivo ad varias telluris plagas, accessu item & recessu Solis & Lunæ connexa, prout luculentissime exponit moderna Physica. Quodsi autem vis illa siderum tantum vallet in aquas oceanii, simili modo aërem quoque atque Mercurium affici oportet. Itaque pressio gravifica tam aëris quam Mercurii, in Barometris æquibrantium, variationi obnoxia est.

§. 7. Attractione illa omnis, tam solaris quam lunaris, quantumvis utraque conspiret ad hebetandam pressionem Mercurii in terram gravitantis, per se atque immediate eundem ne hilo quidem altius attollet. Est enim vis corporis attrac-

tientis ex dictis S. præc. universæ =  $\frac{m \cdot r^2}{d^2}$ . Jam vero Cl. Maxi-

milianus Hellius, postquam ex observatione Wardhusiana ul-  
timi transitus Veneris anno 1769. parallaxin Solis in mediocri  
a tellure distantia haud majorem invenerat quam = 8", 70.  
inde rationem voluminis seu molis terrestris ad molem sola-  
rem definiuit ut 1 ad 1349233. Sunt porro quantitates mate-  
riæ seu massæ corporum in ratione composita voluminum &  
densitatum; densitas item terræ ad densitatem solarem ex cal-  
culo Newtoniano ut 1 ad  $\frac{1}{4}$ . Itaque massa terræ ad massam

solarem se habet ut 1 ad  $\frac{1349233}{4} = 1 : 337308$ . Cum præte-

rea distantia media Solis a terra (more geometrico centra  
centris comparando, ac massas spectando velut in centro col-  
lectas) ex determinatione Helliana æquetur 23708 semidia-  
metrorum terrestrium, fiet, si vim attractivam Solis =  $\checkmark$  in  
Mercurium barometricum aliave corpora superficiem terrestrem  
occupantia cum ipsa attractione telluris in eadem corpora

conferas,  $\checkmark = \frac{337308}{(23708)^2} = \frac{337308}{562069264} = \frac{1}{1666}$  attractionis ter-

restris quam proxime. — Ratio voluminis terrestris ad vo-  
lumen lunare ab Hellio statuitur ut 1 ad  $\frac{1}{50}$ . Cum jam den-  
tas telluris ad densitatem Lunæ ex principiis Newtonianis sit  
circiter ut 4 ad 5, fiet massa terrestris ad massam lunarem ut  
4 ad  $\frac{5}{50} = 4 : \frac{1}{10} = 1 : \frac{1}{40}$ . Quoniam ergo tabulæ tam veteres,

quam recentiores Hellianæ distantiam medium Lunæ a terra ponunt = 58 sem terr. erit, si vim attractivam Lunæ in terram = v facias,  $v = \frac{1}{40} : (58)^2 = \frac{1}{40} : 3364 = \frac{1}{134560}$  attractionis terrestris. — Vim utramque amborum Luminarium in summam colligendo emergit  $v + v = \frac{1}{1666} + \frac{1}{134560} = \frac{1666 + 134560}{224176960} = \frac{1}{1645}$  attractionis terrestris quam proxime.

Habet igitur se vis telluris, in corpora superficiem suam occupantia exerta, ad vim Solis & Lunæ simul acceptam atque eadem in corpora exertam, quam proxime ut  $v$  ad  $\frac{1}{1645}$ , ita ut summa illa virium cælestium millies sexcenties & ultra superetur ab attractione terrestri. Itaque Mercurius, ceteraque corpora in superficie telluris existentia multo atque insigniter magis ab ipsa terra trahentur, quam a geminis illis sideribus, quantumvis actione sua conspirantibus. Ex quo consequitur, sidera illa per se atque immediate haudquaquam sufficere ad actionem terrestrem actione contraria superandam, corporaque terrestria vel hilo altius sursum levanda; sed valere duntaxat ad præpotentem illum in terram nisum minutissima quadam sui parte impediendum. Attractio ergo illa omnis tam solaris quam lunaris &c. II. Idem confirmatur experientia manifesta, quæ docet, omnem illam cælestium corporum attractionem, quantumcunque conspirautem, nihil prorsus posse vel in guttulam aqueam scypho contentam, vel in plumulam levissimam de terra levandam &c. Ergo eadem omnis actio æque parum aut minus quoque poterit in Mercurium barometricum de statione sua altius evehendum.

Scholium 1. Calculus a nobis supra allatus vires Solis & Lunæ in terram *absolutas*, sive totam exprimit actionis energiam, qua duo illa luminaria tellurem nostram universe trahunt. Verum cum sermo est de corpore aliquo per attractiōnem cælestem sursum levando atque a tellure distrahendo, vim illam haud totam, seu vires haudquam absolutas spectari oportet, sed *repellivas* tantummodo, id est, illas, quæ in partes aliquæ telluris, utpote viciniores, magis ac verticaliter; aliæ, utpote remotiores, minus atque oblique trahuntur, ita ut non vis tota seu absoluta corporum cælestium in computum venire debeat; sed illa solum virium *differentia*, quæ ex inæqualitate distantiarum, & obliquitate directionum resultat. Ponamus enim omnes & singulas telluris particulas viribus æqualibus, quantiscunque demum, ac directionibus parallelis sursum trahi: nulla inde partium distractio consequi poterit, hoc ipso, quod omnes & singulæ ad motum non nisi communem sollicitentur; nequaquam autem ad situm relativum inter se permutandum. Itaque non absoluta, sed vis tantum respectiva corporum cælestium, seu illa partibus diversis diversimode applicatarum virium differentia elevationem corporum terrestrium facit possibilem. Jam autem vim hanc respectivam, seu permodicam differentiam inæqualium attractionum multo adhuc minorem esse, quam vim totam & absolutam, per se patet. Certe illustris Neutonus, aliqui viri summi principia Newtoniana secuti, summa parallaxi solari =  $10''$ , 50, summam virium Solis & Lunæ, quas respectivas seu perturbatrices appellant, ad vim attractionis terrestris in superficie ipsius telluris se habere ostendunt ut i ad 2032890, adeoque esse in minori ratione, quam sit unitas ad duos milliones. Cum ergo

vis

vis tota atque absoluta amborum luminalium, quam retulimus in calculo nostro, per se atque immediate haudquaquam sufficiat ad corpora terrestria in altum levanda, multo minus sufficiet vis isthac respectiva, multo sane atque incomparabiliter minor, quae tamen re ipsa sola deberet illum sublationis effectum producere. Manet igitur ac confirmatur superior assertio nostra.

2. Calculus noster vires Solis *absolutas* majores statuit, quam Lunæ, id quod magnitudinem respectivam massæ solarii perpendenti mirum videri non poterit. Illud fortasse magis mirum vires *respectivas* Lunæ majores inesse præ Sole. Sed nimis differentia attractionum, quibus aliæ atque aliæ partes telluris a Sole afficiuntur, ob ingenitem ejusdem distantiam longe minor est, quam quæ oritur ex diversa attractione lunari unive sim proximiore. Directiones deinde, secundum quas telluris partes trahuntur a Sole, ob eamdem enormem distantiam pro parallelis fere haberi possunt, cum Luna multo vicinior partes aliquas, ab horizonte præsertim remotas, non possit nisi satis oblique trahere. — Rationem earundem virium, quas perturbatrices dicimus seu respectivas, in Sole & Luna Neutonus statuit fere ut 1 ad 4; emendatius Daniel Bernoullius, inertiam corporum respiciens, ut 2 ad 5; emendatissime Paulus Friesius, phænomenis præcessionis æquinoctiorum quoque & nutationis axis terrestris in consilium vocatis, ut 147 ad 356, ita ut summa virium illarum, in locis utrique simul sideri directe subjectis, sufficiat aquis mariis attollendis ad 10 vel 12 pedes circiter secundum Neutonum; non nisi ad 7 ped. secundum Bernoullum; ad 6 $\frac{1}{2}$  ped. secundum Friesium.

3. Sed jam quæres fortasse, quid sit tandem, cur, cum  
actio illa gemina Solis & Lunæ tam sit efficax in aquis marinis  
ad aliquot etiam pedes attollendis, similem tamen effectum  
non producat in Mercurium, aliaque corpora, præsertim le-  
viora, in superficie telluris existentia. — Responsio in prom-  
tu est: Aqua scilicet marina haudquaquam attollitur per illam  
præcise actionem, quam Sol & Luna in hanc ipsam aquam in-  
tumescientem exercet. Hæc enim actio sola si foret, aqua  
omnis ob prævalentem attractionem terrestrem immota con-  
sisteret loco suo, quemadmodum immota stant cetera corpo-  
ra superficiem terrestrem occupantia. Aqua ergo marina ultra  
solitam stationem suam ascendens, attollitur ab aquis reliquis,  
*circumfluis seu lateralibus*, in fundum ipsamque aquam illam  
vi fortiore prementibus. In vastissimo nimirum oceano duo  
illa luminaria aquis non omnibus ex æquo incumbunt; sed  
proxime & verticaliter iis tantum, quæ proxime & vertica-  
liter subiiciuntur. Hæc igitur aquæ proxime & verticaliter  
subiectæ efficacius attrahuntur, quam ceteræ laterales multum  
remotæ, ad horizontem præsertim sitæ atque integro qua-  
drante seu  $90^{\circ}$  hinc inde distantes, quæ & minus propter  
distantiam majorem, & ita *in super oblique trahuntur*, ut  
per ipsam hanc tractionem obliquam centrum telluris versus  
potius stimulentur. Aquæ porro magis remotæ, minusque  
& oblique attractæ, adeoque respective graviores energia  
majore & in fundum & in omnem partem agunt, ac pressio-  
ne sua prævalente per leges hydrostaticas sursum levant aquam  
illam a dictis corporibus cœlestibus valentius attractam, minus-  
que jam gravem: nec quies erit, dum aqua intumescens eam  
obtinuerit altitudinem, ex qua par sit sustentandæ toti, quæ

a lateribus urget, pressioni. Hinc vides ab attractione Solis & Lunæ aquam illam exturgescentem reddi quidem respective leviorum, atque ita *ad faciliorem elevationem disponi*; elevationem vero ipsam deberi proxime aquis circumfluis fortius prementibus. Hæc jam ratio cum in Mercurio nostro aliisque corporibus terrestribus locum non habeat, planum est, effectum in iis haud esse eundem debere ac in oceano, sed disparem pro disparitate rationis. — Aër contra noster atmosphæricus, cum aquis marinis prorsus analoge se habens, easdemque sequens leges hydrostaticas, similem profecto cum mari bus fluxus atque refluxus vicissitudinem subeat oportet, uti mox dicimus.

*S. 8. Aërem nostrum atmosphæricum ab actione Solis & Lunæ, utraque præsertim summis suis viribus conspirante attractum, ad aliquam altitudinem attolli necesse est. Quemadmodum enim in oceano aquam, tractioni valentissimæ Solis & Lunæ proxime subjectam, ambient undique aquæ laterales, tum ob situm suum magis obliquum, tum ob distantiam notabiliter majorem minus efficaciter sursum attractæ, seu minus a nisu suo terræ centrum versus impeditæ, aut etiam per attractionem obliquam ad eundem nisum potius incitatæ: ita etiam aërem nostrum atmosphæricum, verticaliter atque potentius attractum, ex omni parte ambit aër circumfluis propter distantiam atque obliquitatem suam minus efficaciter sursum attractus, seu minus a nisu suo terræ centrum versus impeditus, aut etiam per tractionem obliquam gravior redditus. Quemadmodum ergo aquam illam respective leviorum prævalens pressio aquarum lateralium ultra libellam solitam*

ne-

necessario sursum trudit: ita & aërem respective leviorem ab aëre circumfluuo efficacius premente ad majorem aliquam altitudinem attolli necesse est.

Scholium. Nullum corpus, adeoque nec aqua marina, nec aér atmosphæricus de statione sua altius assurgunt per immediatam præcise attractionem Solis & Lunæ eoquod vis gravitatis, singula cuiusvis corporis terrestris elementa in terram urgens, incomparabiliter sit major, quam omnis illa corporum cælestium actio sursum trahens §. præc. Reste igitur causa proxima atque immediata elationis vel marinæ vel atmosphæricæ statuitur *prævalens illa partium lateralium inæqualiter attractarum pressio*, ut supra dictum.

§. 9. Quantumcumque dicatur incrementum altitudinis atmosphæricæ, ex inæqualitate attractionis cælestis hemisphærio nostro incumbentis oriundum, id tamèn totum pressionem ipsum aëris in terram nostram vel Mercurium barometricum per se nihil auget. Quidquid enim novi aëris in loco intumescentiae accedit, eo toto non augetur sane pondus aereum, sed amissum duntaxat restauratur. Aér scilicet lateralis affuit præcise ad restituendum secundum leges hydrostaticas æquilibrium, ab inæqualitate attractionis cælestis turbari solitum. Plus igitur aëris ex lateribus per se haudquam advehitur, quam quantum requiritur ad æquilibritatem aëri potentius attracto conciliandam. Altitudo itaque aëris exturgescentis in affluxo illo quantumcumque aucta per se non dat majorem pressionem novumve pondus per modum incrementi, sed reparat tantummodo jacturam ponderis hoc loco deperditi, ita ut in aëre elatiore premant particulæ plures

quidem, sed singulæ minus efficaciter, quia valentius attractæ & leviores; in aëre autem laterali depresso particulæ pauciores quidem, sed singulæ magis efficaciter, quia minus sursum attractæ & graviores; omnes denique columnæ aëreæ tum in fundum, tum in se ipsas in infimo communicationis loco, cæteris paribus prorsus æqualiter, prout contingit fere in tubis communicantibus, quos fluidis repleas diversa gravitate specifica præditis. Cum ergo aër omnis atmosphæricus per se conponatur præcise ad æquilibrium, aër loco quovis determinato maxime intumescens in fundum, id est, in terram vel Mercurium barometricum plus non agit, quam egerat idem ante suam elationem; nec plus, quam aër reliquus omnis per latera diffusus, atque ad commune reductus æquilibrium. Quantumcumque igitur dicatur &c.

Scholium. Dixi, pressionem aëream ex incremento altitudinis seu affluxu laterali *per se* nihil augeri, quia aër circumfluus ex legibus hydrostaticis per se non tendit nisi ad reparandum æquilibrium. Fit nihilominus *per accidens*, per vim scilicet inertiae, prout appellant, id est, quia aër affluens motumque successive accelerans non nisi successive fititur, fit, inquam, ut aër ille non nihil ultra, quam æquilibrii postulet ratio, excurrat atque accumuletur, post undulationes quasdam, seu repetitos in se mutuo incursus, itusque & redditus ad æquilibrium denique reducendus. — Cæterum quæ de aëris affluxu dicta sunt modo, perinde valent *in æstibus marinis*. Nam & aqua marina in loco exturgescentiæ maximæ cæteris paribus per se plus non premit in fundum, quam columnæ laterales et si depresso, quippe in quibus efficacior pressio idem

idem præstat, quod in aquis elatioribus major altitudo. Per accidens item & aquæ oceanî altius attolluntur, quam æquilibrii ferat ratio, prout de aëre mox notatum est. — Illud præterea vel me non monente quilibet facile intellexerit, sermonem mihi esse de affluxu sive *aëstu supero*, eo nimirum, qui contingit tam in aquis maximis, quam atmosphæra, duobus luminaribus in hemisphærio nostro diversantibus. *Aestum inferum* quam attinet, qui eodem, quo superus, tempore ipsurgit, salva quidem & in illo manet doctrinæ traditæ substantia; de eodem tamen sermonem si habeas, aliquos loquendi modos pro rebus mutatis mutare oportet.

§. 10. *Mercurius barometricus per attractionem cœlestem tantumdem amittit de pressione seu pondere suo, quantum respondens vel columnæ aërea tota vel aquæ 32 pedes alta.* Constat enim Mercurium barometricum servare æquilibrium cum respondentे sibi columnæ tam aërea tota, quam aquæ 32 circiter pedes alta. Par ergo massa, seu par numerus elementorum componentium inest in triplici isthoc fluido æquiponderante. Sed & distantiam trium istorum corporum a corporibus cœlestibus assumere licebit omnino parem. Nam et si aér, tenuior saltem atque supremus, ad notabilem satis altitudinem ultra superficiem telluris sese exporrigat, respectu habito ad simplam præcise semidiametrum terrestrem: ea tamen altitudo hic merito negligitur, ubi ad insignem illam Solis & Lunæ distantiam refertur. Aér certe in distantia 29295 hexap. millies rarer, quam usualis noster, nec porro sensibilis censemur, prout docet Cl. Paulus Friesius de gravitate universi. L. 2. cap. 10. Cum ergo mediocris terræ radius complectatur hexap.

$3273008\frac{1}{2}$ ; distantia autem media Lunæ a terra æquetur  $\frac{5}{8}$  radiis terrestribus: erit eadem Lunæ distantia  $= 3273008\frac{1}{2} \times \frac{5}{8} = 189834493$  hex. adeoque ad altitudinem aëris sensibilis maximam ut 189834493 ad 29295, seu quam proxime ut 6480 ad 1, quæ unitas profecto notabile momentum non habet, præsertim cum aëris crassior atque compressior, hoc loco maxime attendendus, non in supremis regionibus atmosphæræ, sed proxime ipsam terram reperiatur; magis autem magisque tenuis, minusque attendendus, pro majore ab eadem tellure recessu. Evanescet vero multo adhuc magis diæta aëris altitudo, si cum eximia illa Solis præ Luna distantia comparetur. Itaque & distantiæ trium illorum fluidorum, aquæ, aëris, atque Mercurii, pares omnino haberi possunt, quemadmodum massæ sunt pares. Jam autem efficientiam attractionis ex massis corporum, eorumque distantiis metimus § 6. Quanta igitur attractio corporum cœlestium in columnam vel aëream, vel aquam Mercurio æquilibrantem, tanta est in ipsum quoque Mercurium. Mercurius ergo barometricus tantumdem &c.

§. II. Hinc fit perspicuum, nullam prorsus mutationem mercurialem posse consequi spectata præcise attractione illa cœlesti, in Mercurium atque columnam aëream æquilibrantem omnino pari. Effectus enim inde existens per se non est aliis, quam aliqua pressionis diminutio, sed in utroque fluido prorsus æqualis: qua data ambo fluida æquilibrium, ut ante, tueri pergent. — Discriben itaque pressionis mutuæ aërem inter atque Mercurium non habetur ex actione siderea præcise, sed ex affluxu laterali potius, quem aër quidem, non

non item Mercurius barometricus recipit. Mercurius enim, quoniam tubulo suo est conclusus, nec habet Mercurium lateralem undique ambientem, *jacturam ponderis per attractionem cœlestem amissi affluxu nullo reparare poterit*, id quod tamen in atmosphæra nostra contingere ex dictis patet. Aër ergo atmosphæricus, quomodo cumque tandem a Sole & Luna trahatur, ob affluxum lateralem vi per se semper æquali premit in Mercurium §. 9. Mercurii autem pressio deorsum rationem servat reciprocam cum attractione cœlesti, minuiturque aucta, augescit attractione illa imminuta, quin ulti unquam ex lateribus affluxui sit locus. — Variata igitur pro vario situ relativō Solis & Lunæ attractione indirecte saltem sive per accidens inducit inæqualitatem quandam pressionis mutuae aërem inter & Mercurium barometricum. Superveniente scilicet attractione maxima aër, quod amiserat de ponde- re suo, per affluxum lateralem recuperans, magis haud dubie premet deorsum, quam Mercurius, tantum ac aëris de pressione sua amittens quidem, sed nihil recuperans. — Discriben ergo pressionis mutuae aërem inter & Mercurium, ex actione siderea utcunque oriundum, ultimato repeti debet ex immutato pondere mercuriali, aëre interea in loco quovis determinato semper æqualiter premente. — Ex hac porro pressionis mutuae inæqualitate, siquidem fuerit notabilis, notabilem Mercurii in Barometro mutationem consequi necesse est §. 2.

Scholium. Devoluti jam sumus ad caput rei, unde præsentis quæstionis resolutio quam maxime dependet. Mercurius profecto per immediatam præcise attractionem cœlestem de statio-

statione sua haudquaquam altius potest evehi (§. 7.); neque etiam per solam aëris exturgescentis auctam altitudinem (§. 9.); sed per immutatas scilicet vires relatives aërem inter ipsumque Mercurium, aëre nimirum per se semper æqualiter premente, Mercurio autem ponderis jacturam passo, ut paullo ante dictum. — Supereft modo, ut & illud statuamus, sitne *jactura illa ponderis mercurialis appulsis ad meridianum luminaribus, vel accesso ad idem pondus mercuriale luminaribus ad horizontem depresso*, ita notabilis; seu quod eodem redit, sitne *excessus vel deficitus respectivus pressionis aëreæ tanti momenti*, ut inde statio Mercurii in Barometro sensibiliter variari queat. — Ostendam vero deinceps, omnem attractionem cælestem Solis & Lunæ, quantumvis conspirantem, haudquaquam esse tantam, ut ad pressionem illam relativam aërem inter atque Mercurium notabiliter variandam sufficiat; nihilque proinde momenti inesse in viribus illis attractivis ad usitatas Mercurii barometrici mutationes proliendiendas.

§. 12. *Discrimen pressionem aëream inter & mercurialem, per conspirantem attractionem Solis simul & Lunæ inducum, tantum haud est, ut notabilis inde mutatio Mercurii in Barometro consequi possit.*

Ostenditur primo *ex magnitudine æstus marini*. Secundum principia Danielis Bernoullii, cap. 6. laudatæ dissertationis calculum Newtonianum scitissime emendantis, altitudo maxima æstus marini, et si summa virium tam solarium quam lunarium in ipsis syzigiis exactissime conspirante, per se esse non

non potest nisi ad summum 7 pedum ; quam sententiam phænomena quoque præcessionis æquinoctiorum & nutationis axis terrestris confirmant §. 7. Schol. 2. Profunditas porro marium multis in locis re ipsa inexplorabilis , cum gravissimis auctoribus assumi ut minimum poterit æqualis altitudini summorum montium , quales sunt in America catenæ Andium , vulgo Cordilleres dictæ , ex modernorum geometrarum dimensionibus 3000 hexapedas , seu 18000 pedes alti . Quodsi jam ex æstu totali quæramus , quanta altitudo in ea aquarum elatione respondeat columnæ non jam totali , sed partiali 32 pedes duntaxat altæ ; seu quod idem est , quantam ponderis jacturam per attractionem cælestem subeat columna aquæ 32 præcise pedes alta : analogia sic construitur : 18000 : 7 = 32 : x . Itaque  $x = \frac{7}{18000} \times 32 = \frac{224}{18000} = \frac{1}{80}$  unius pedis quam proxime . Columnæ igitur aquæ 32 pedes altaæ in æstu marino ex valentissima attractione cælesti altitudo non respondet alia , quam  $= \frac{1}{80}$  unius pedis ; seu quod in idem recidit , columnæ partialis 32 pedes alta plus non amittit de pondere suo , quam quod appendit particula aquæ  $= \frac{1}{80}$  unius pedis . Jam autem quanta est jactura ponderis in columna aquæ 32 pedes alta , tanta etiam erit in columna Mercurii barometrici §. 10. Cum præterea gravitas specifica Mercurii sit ad gravitatem aquæam ut 14 ad 1 : Mercurius tantum amittit de pondere suo , quantum appendit particula mercurialis  $= \frac{1}{80} : 14 = \frac{1}{1120}$  unius pedis . Aér igitur atmosphæricus , stante etiam attractione cælesti , per se semper æqualiter premens ( §§. 9. 11. ), Mercurium barometricum , aliquantillam pressionis suæ jacturam passum , in ipsis etiam regionibus æquatori tractione cælesti directe & proxime subjectis trudere sursum non poterit ,

nisi

nisi ad altitudinem  $= \frac{1}{1720}$  unius pedis  $= \frac{1}{8}$  unius lineæ sere. In nostris ergo plagis ultra  $45^\circ$  ab æquatore remotis, tum ob majorem a corporibus cælestibus distantiam, tum ob tractio-  
nis obliquitatem, effectus in Mercurio erit multo minor, ac vulgo quidem vix subquadrupliciter, adeoque vix  $= \frac{1}{32}$  unius lineæ. Atqui tantillus vel ascensus vel descensus inter usita-  
tas Mercurii mutationes notabilis non est. Itaque discrimen  
pressionem aëream inter & mercurialem &c.

Scholium 1. Dixi, altitudinem maximam æstus marini,  
ex vi perturbatrice duorum luminariorum oriundi, *per se* non  
pertingere nisi ad 7 pedes. Scio equidem, undas oceanii  
certis in locis assurgere aliquando ad 50 & amplius pedes.  
Insignis autem hæc altitudo habetur præcise *per accidens*;  
per inertiam scilicet aquarum, de qua §. o. in Scholio, per  
vadorum litorumque incursum ac reflexiones, per æstuum ex  
diversis plagis in freta quædam irruentium collisiones, acce-  
dente præsertim ventorum vi &c. Quæ quidem accidentia  
Mercurium barometricum tubulo suo conclusum profecto non  
afficiunt. Merito igitur eam præcise hic virtutem spectavi-  
mus, quam corpora cælestia per se exerunt. — Cæterum  
profunditatem marium affunimus  $= 3000$  hex.  $= 18000$  pe-  
dum, quæ profunditas verisimiliter multo adhuc est major,  
cum multis in locis nulla hactenus arte, nullis quantiscunque  
mensuris explorari potuerit. Eo autem posito mutationes mer-  
curiales ex attractione cælesti multo, quam diximus, futuras  
minores necesse est.

2. Sed dices fortasse : Etiam si nova altitudo aëris , quam vis perturbatrix Solis & Lunæ per se inducunt , turbatum præcisè æquilibrium reparet , adeoque pressionem atmosphæricam in Mercurio non augeat , sed eamdem potius semper æqualem conservet ( §§. 9. 11. ) excessus tamen ille *accidentalis* , per inertiam aëris limites æquilibrii supergrediens , de quo §. 9. in Scholio , fortiorum , ac a nobis fuit assignatus , effectum in Mercurio barometrico producere poterit . — Respondeo : Excessus ille accidentalis , per inertiam inductus , quem admodum in oceano libero est modicus , ita etiam in aëre longe liberrimo esse non poterit nisi admodum modicus . Cum ergo omne illud altitudinis aëreæ incrementum , quam vires perturbatrices per se inducunt , ad Mercurium notabiliter immutandum haud sufficiat , multo minus sufficit modicissimus excessus ille accidentalis . Accedit , quod accumulatio aëris maxima non fiat tum continuo , cum corpora cælestia culminare incipiunt , Mercuriumque barometricum verticaliter ac valentissime sursum trahunt ; sed una fere alterave primum post hora , prout fieri constat in æstibus marinis . Eo autem tempore , fideribus scilicet occasum versum jam deflectentibus , vis gravitatis mercurialis jam incipit crescere denuo , atque illum tantillum excessum potentius elidere .

Ostenditur secundo ex calculo virium Solis & Lunæ in terram universe agentium . Summa virium , queis corpora in superficie telluris existentia universe trahuntur a Sole & Luna , ad vim telluris eadē corpora attrahentis se habet quam proxime ut 1 ad 1645 , prout constat ex §. 7. Ponamus jam terram ipsam ea perpollere virtute , qua & aërem atmosphæricum

&amp;

&amp;

& Mercurium barometricum ita deorsum urgeat centrum suum versus, ut in æquilibrio consistant ambo isthæc fluida, Mercurio ad 27 digitos sublato; ad eam scilicet altitudinem, quæ in locis supra libellam maris mediocriter elevatis, maximam inter & minimam fere media censeri potest. Superveniat modo attractio cælestis, directione contraria validissime sursum urgens, eaque  $= \frac{1}{1645}$  attractionis terrestris. Tam aër igitur, quam Mercurius, utroque sidere ad meridianum loci appulso ac verticaliter & proxime agente amittent  $\frac{1}{1645}$  pressionis suæ deorsum: ac proinde Mercurius, attractioni cælesti directe subjectus, de pondere suo tantum perdit, quantum appendit particula mercurialis  $= \frac{27}{1645}$  unius digiti, seu  $= \frac{324}{1645} = \frac{1}{5}$  circiter unius lineæ. Positis itaque iis viribus aer per affluxum lateralem jacturam suam reparans, semperque æqualiter premens, Mercurium barometricum, pertenuem jacturam passum nihilque recuperantem, in ipsis etiam locis attractioni verticali ac maximæ subjectis, attollere non poterit nisi ad altitudinem  $= \frac{1}{5}$  unius lineæ. — Atque hæc quidem valent, si de viribus Solis & Lunæ *absolutis* loquamur: cum autem sublationem seu distractionem corporum terrestrium a terra efficeré non possit nisi *vis respectiva* attractionis sidereæ, uti diximus §. 7. Schol. 1. eaque sit multo atque insigniter minor quam absoluta: patet, effectum in Mercurio revera multo adhuc atque insigniter futurum minorem quam  $\frac{1}{5}$  unius lineæ; & si quidem principia Newtoniana loco. cit. sequamur, altitudinem mercuriale in conspiratione verticali attractionis cælestis geminæ orituram non nisi  $= \frac{2027}{32890}$  unius digiti  $= \frac{324}{2032890} = \frac{1}{6274}$  unius lineæ quam proxime. Ergo discriminem pressionem aeream inter & mercurialem &c.

Osten-

Ostenditur tertio ex calculo virium Solis & Lunæ *in atmosphærā agentium*. Si terra nostra ponatur sphærica ( quæ lis revera quam proxime est , atque hic saltem assumi tutissime potest ), stratis item *constans homogeneis* : attractio corporis extranei satis diffiti in atmosphærā eidem telluri assusam ( quæ ipsa atmosphæra hic assummitur ut homogenea ) figuram inducit sphæroidicam ; atque talem quidem , in qua , prout ex principiis staticis & geometricis rite præstabilitis infert Cl. Paulus Frisius in præstantissimo opere de gravitate universali L. 2. cap. 8. se quam proxime habeat differentia semiaxis majoris ad corpus diffitum directi = B ad semiaxem minorem = C , ut tripla attractio ejusdem corporis extranei = 3 P ad duplam attractionem totius terræ atmosphærea circumfusæ = 2. g , id est :  $B : C = 3 P : 2 G$  , sive  $\frac{B}{C} = \frac{3P}{2G}$ . Est autem ex calculo Frisiiano , si per G attractio terrestris , per P attractio solaris in superficie terræ designetur ,  $G : P = 38604600 : 1$ . Itaque si semiaxem minorem = C cum Frisio ponas æqualem mediocri terræ radio =  $3273008\frac{1}{2}$  hex , seu = 19638051 ped.

Erit  $B : 19638051 = 3 : 2 \times 38604600$  ; adeoque  $B = \frac{58914153}{77209200}$  unius pedis , sive pollicum  $9\frac{1}{6}$  quam proxime. Igitur attractio solaris in atmosphærā terrestrem inducit semiaxiū differentiam  $9\frac{1}{6}$  poll. sive 110 linearum. — Cum porro ex §. 7. Schol. 2. vis perturbatrix Solis ad vim perturbatrix Lunæ se habeat ut 147 ad 356 , denotata per B attractione lunari fiet  $B : 110 = 356 : 147$  ; adeoque  $B = \frac{356 \times 110}{147} = \frac{39160}{147} = 266\frac{1}{2}$

lin. quam proxime. Erit proinde differentia semiaxiū per

attractionem lunarem investitam =  $266\frac{1}{2}$  lin. = 1 ped. 10 poll.  
 $2\frac{1}{2}$  lin. — Effectum utriusque hujus attractionis, tam solaris  
 scilicet quam lunaris, in arctissima etiam coniunctione aequinoctiali quam maxime conspirantibus, in summam si jungas,  
 fiet differentia inter altitudinem aeris in aequatore proxime  
 subjecti & valentissime attracti, & altitudinem aeris integro  
 quadrante seu  $90^{\circ}$  hinc inde remoti minusque attracti, univer-  
 se =  $110 + 266\frac{1}{2} = 376\frac{1}{2}$  lin. sive 2 ped. 7 poll.  $4\frac{1}{2}$  lin. — Aer  
 præterea per affluxum lateralem per se tantum præcise capit  
 altitudinis incrementum, quantum requiritur ad resarcendum  
 pondus actione caelesti amissum §. 9. Quantum aer, tan-  
 tumdem de pressione seu pondere suo perdit & Mercurius ba-  
 rometricus §. 10. Quoniam ergo densitas aeris nostri usualis,  
 qualem per omnem atmosphaeram aequabiliter diffusum hic  
 supponimus, est ad densitatem aquæ circiter ut 1 ad 850, &  
 aquæ densitas ad densitatem Mercurii ut 1 ad 14; adeoque  
 aeris densitas ad densitatem Mercurii ut 1 ad 11900: Mer-  
 curius ex actione siderea ponderis sui eam subit jacturam, qua  
 æquiparatur particulae mercuriali habenti altitudinem =  $376\frac{1}{2} : 11900 = \frac{1}{31}$  unius linea quam proxime. Mercurius igitur baro-  
 metricus per tenuissimum excessum illum pressionis aereæ attol-  
 li non poterit nisi ad  $\frac{1}{31}$  unius linea; altitudinem in Barome-  
 tris haud sane notabilem.

Quodsi vero cum gravissimis auctoribus teneas terram no-  
 stram stratis haud constare homogeneis, id quod hactenus a  
 nobis erat assumptum; sed habere illam *nucleum sphæricum in-*  
*teriorum quinta circiter parte densiorem*, quam sit reliqua ma-  
 teria circumposita, ultra Nucleum illum sphæricum redundans;

ex

ex calculo Frisiano loc. cit. erit  $\frac{B}{C} = \frac{3P}{G}$ . Itaque si de attractione solari loquamur, fiet  $B: 19638051 = 3: 38604600$ ; ideoque  $B = \frac{58914153}{38604600} = 1$  ped. 6 poll. 4 lin. sive 220 lin. fere. Si autem sermo fuerit de attractione lunari, erit  $B: 220 = 356:$  147; ac proinde  $B = \frac{356 \times 220}{147} = \frac{78320}{147} = 533$  lin. quam proxime. Altitudo ergo aeris ex conjunctis viribus utriusque attractionis pendens, erit universe  $= 220 + 533 = 753$  lin. seu 5 ped. 2 poll. 9 lin. & consequens inde elatio Mercurii barometrici  $= \frac{753}{1980} = \frac{1}{3}$  unius linea quam proxime: quae quantitas rursum tam est exigua, ut inter notabiles mutationes referri non possit. — In utraque ergo hypothesi seu terrae homogeneae, sive nucleo densiore instructae, vis Solis & Lunae, et si maxime conspirans atque verticaliter agens, parum omnino valet per ipsas etiam regiones æquatori conterminas, multo adhuc minus valitura nostris in partibus, prout jam supra fuit expositum. Stat igitur assertio nostra.

*Confirmatur* denique eadem assertio calculo Cl. Boscovichii, qui in supplementis ad Philosophiam Stayanam L. 6. n. 627. & seq. demonstrat æstum aeris ad æstum marinum non posse esse in majore ratione quam 2 ad 5. Cum ergo æstus aquarum per se non superet altitudinem 7 pedum, id quod alias commemoravimus: æstus atmosphæricus ne 3 quidem pedes attinget. Ponamus tamen 3 pedes aeris homogenei accedere locis æstui summo subjectis. Quia insuper densitas ærea ad densitatem mercurialem ex dictis se habet ut 1 ad

11900, altitudo Mercurii barometrici, ex illo vel aërei ponderis incremento, vel ex decremente æquali pressionis mercurialis potius exoritura, erit  $= \frac{3}{11900}$  ped.  $= \frac{432}{11900} = \frac{1}{27}$  lin. quam proxime; minutia in Barometro haud sane sensibilis.

Scholium. Hic jam locus est opportunus ad retegendum errorem Danielis Bernoullii, *nimiam profectio altitudinem æstui atmosphærico tribuentis* §. 5. in Scholio. Vim quidem attractionis geminæ cœlestis in aquas oceani exactius præ Neutono determinavit laudatissimus auctor, sed male prorsus trans tulit ad atmosphæram nostram. Is postquam differentias altitudinem maris & atmosphæræ statuisset fluidorum densitati reciproce proportionales, sic fere pergit: actio Solis aquas marinas attollit ad 2 pedes: itaque aër homogeneus 850 vicibus rarer attolli debet ad 1700 pedes &c. — Præpostera hæc argumentatio locum haberet, si attractio fiderea pari prorsus energia ageret in corpus quodecumque fluidum, idemque per se præcise atque immediate sursum levaret. Ast cum vis illa omnis agat pro numero elementorum, seu pro ratione massæ corporis attrahendi (§. 6.); cumque fluidum nullum in altum efferat nisi mediante affluxu laterali (§. 7. Schol. 3. & §. 8 in Scholio): palam est, actionem solarem incomparabiliter plus valere in columnam quamlibet marinam incomparabiliter majori massa præditam, quam in columnam quamvis aëream longe rariorem & columnæ aqueæ 32 duntaxat pedes altæ æquiponderantem; adeoque etiam effectum diminutionis in pondere, & sublationis in altum, multo potior rem esse oportere in oceano, quam in atmosphæra nostra &c. — Cæterum hactenus ex principiis aliunde notis, ex insufficien-

cientia caussæ, ac velut *a priori* ostendimus, attractionem Solis & Lunæ nihil valere in Mercurium barometricum notabiliter imminutandum: deinceps dabimus operam, ut id ipsum etiam *a posteriori*, id est, ex effectu, sive ex ipsis phænomenis barometricis innotescat,

§. 13. Si mutationes Mercurii barometrici ab attractione duorum luminarium Solis & Lunæ dependerent, quemadmodum inde pendent æstus marini: omnia oportet analoge evenire in elatione ac depressione Mercurii, quemadmodum eveniunt in fluxu aquarum ac refluxu. Quemadmodum enim luminarium illorum actio exeritur in oceanum aquarum, ita etiam etiam exeritur in immensum illum ipsius aëris oceanum, omnem undique terram ambientem. Quemadmodum ergo omnis illa attractio cœlestis alium effectum in aquas maris per se æquibrantes inducere non potest, quam inæqualitatem pressionis, ac consequentem inde fluxum undarum ac refluxum: ita in ipsum quoque aërem par caussa pari prorsus modo agens inducere non poterit nisi effectum itidem parem, id est, inæqualitatem pressionis, atque inde pendentem fluxum aëris ac refluxum §. 8. Atqui omnis mutatio Mercurii, si qua tamen ab attractione cœlesti pendet, unice connectitur cum affluxu illo ac refluxu aëris. Nam per se Mercurius barometricus eamdem fane attractionem fidream sustinet, quam aër atmosphæricus §. 10. Spectata ergo isthac præcise communi atque æquali attractione mutatio omnis in Mercurio erit impossibilis §. 11. Superveniente autem affluxu laterali aër fit respettive gravior, quam Mercurius cit. §. 11. Inæqualitas igitur pressionem aëream inter & mercuriale, &

con-

consequens inde mutatio barometrica unice connectitur cum affluxu & refluxu aëris lateralis. Idem porro affluxus & refluxus aëreus analogiam exacte servat cum æstu marino, ut ante diximus: ergo etiam effectus inde pendentes, id est, mutationes mercuriales evenire modo æstibus marinis prorsus analogo debent. Itaque mutationes Mercurii barometrici &c.

Scholium. Immo in aerem attractio illa cælestis mutationes inducere debet *multo magis regulares*, quam in maria, in quibus æquabilis aquarum fluxus atque refluxus interjectis terræ immensis tractibus, vadis, litorum anfractibus, aliisque obstaculis passim turbatur: quibus impedimentis caret fere liberrimus motus aeris, regiones omnes, superiores præsertim, insigni mobilitate sua facilime permeantis.

§. 14. Solertissimæ observationes tum aliorum, tum Academie præsertim Parisinæ, sub initium hujus seculi in omnibus Gallicæ portubus ad oceanum sitis per annos complures summo studio institutæ, de æstu marino sequentia nos docent.  
 I. Mare diebus singulis bis attollitur, hoc fere ordine. Ali quanto post ortum Lunæ incrementum aquarum incipit. Crescit hic tumor continuo, dum Luna meridianum paullisper transgressa æstus fiat maximus. Luna deinde horizontem occiduum versus magis descendente, detumescere aqua incipit, ita quidem ut sub occasum lunarem decrementum sit summum. Una alterave post hora mare iterum intumescit, tumore crescente, dum elatio aquarum summa contingat Luna ultra meridianum dato loco oppositum aliquantisper progressa. Subsequitur denuo refluxus maris, ac detumescentia tandem maxima,

xima, Luna horizontem ortivum radente. II. Aestus variantur pro vario situ respectivo Solis ad Lunam. Atque in primo quidem ac tertio quadrante mensis lunaris tempus elationis maximæ anticipat; in secundo & quarto nonnihil retardatur. Circa syzigias æstus majores, minores circa Lunæ quadraturas esse solent. III. Simili modo æstus variantur pro varia positione respectiva Lunæ & Solis ad terram. Altius nimirum maris tumor assurgit Luna perigea, tellure perihelia, quam cum Luna ad apogenum, ad aphelium tellus discesserit; altius item Luna & Sole in æquatore, quam extra hunc diversantibus. — Taceo plura alia, ad evincendum propositum nostrum minus necessaria.

§. 15. *Multiplici experientia palam est, usitatas Mercurii mutationes haud respondere vicissitudini æstuum marinorum.* Multiplici certe observatione constat, ex una quidem parte mutationes mercuriales eas vulgo non deprehendi, quæ fieri deberent stante analogia cum æstibus marinis; ex altera vero parte evenire non raro mutationes in Mercurio, dictæ analogiæ contrarie prorsus oppositas. Quod utrumque ut luctucentius patescat, subnectere juvat tabellam observationum quarundam hoc primum anno curatissime a me institutarum, adiectis simul adnotationibus in rem præsentem facturis.

*Mense Januario.* Ima die eodem propemodum loco hæret Mercurius, 2da penitus immotus in 26 poll. 3 $\frac{7}{8}$  lin. mensuræ Parisinæ: 3ta incipit valde notabiliter, sub vesperam præsertim ascendere, quem ascensum etiam 4ta prosequitur usque ad 26 poll. 9 lin. ultra. Quæ quidem omnia lon-

ge aliter eveniunt in fluxu ac refluxu maris, bis in dies singulos recursare solito §. præc. Obs. I.

Die 6ta iterum stagnat fere per totam. Die 7ma in plenilunio subludit per totam, adeoque in ipsa etiam meridie, quo tempore, si locum haberet analogia cum æstu marino, ascensus fieri debuisset successive maximus, ex obs. I. & II. Idem descensus etiam 8va continuatur, donec 9na tandem fieret repentina conversio in ascensum &c.

Die 14ta hæsitatio quam proxime. Sequitur biduo toto ac quatriduo fere ingens demerlio usque ad 25 poll. 7 lin. & infra; secus ac analogia permittit, vicissitudines exigens quotidianas & regulares. Obs. I.

Die 21ma in perigeo Lunæ, ac vicina admodum Solis conjunctione, latus fit ac continuus ascensus, contra regulam analogiæ obs. I. II. III. Die in sequenti 22da in ipso Novilunio quies ad meridiem usque: tum vero sub vesperam subita elevatio, quando fieri debuisset depresso maxima, Obs. I. & II.

Die 23tia biduo sequenti continuatio elevationis: 26ta quies fere: 27 & postridie perpetuus atque insignis descensus: 29 na repentinus ad superiora saltus, per diem proximam & ultra continuatus, ordine analogo cum æstibus marinis penitus everso. Obs. I.

*Mense Februario.* 2da die lapsus insignis: 3tia & deinceps perpetuus atque eximus ascensus: 5ta insignis denuo lapsus per totam, contra regulam analogiæ obs. I.

Idem

Idem lapsus ingens continuatur etiam et in Plenilunio tam meridie quam per totam, contra omnino ac observatio I & II de aestibus marinis docet. Tum vero constans iterum ascensus biduum & ultra &c.

Die 12ma stagnatio fere: immo & 18va in perigeo Lunæ descensus permodicus, cum mutationem fieri oporteret valde notabilem, Novilunio praesertim propinquante. Obs. II. & III.

Die 20ma in Novilunio modicus ascensus per totam, contra obs. I. & II. Postmodum vero per noctem insignis repente lapsus nocte mox insequenti sublimem in saltum mutatus. Die 25ta ut ultra perpetuus lapsus: 28va ascensus perpetuus, repugnante obs. I.

*Mense Martio.* Primo triduo elatio insignis & constans usque ad 26 poll. 8 lin. Die 4ta depresso continua, contra obs. I.

Die 7ma in Plenilunio, quo tempore analogia ex obs. II. eximiā requireret mutationem, hæsitatio propemodum. Postera die tota insignis elevatio, 9na depresso. Die 10ma insignis iterum ac continuatus alcensus, qui 11ma sub vesperam ad eximiā subito altitudinem, ac 12 ad 26 poll. 7 $\frac{7}{10}$  lin. omnino pertingit. Tota die 13tia magnis repente passibus descendit de novo Mercurius, postridie rursum in altum eluctatus, contra ordinem aestuum marinorum obs. I.

Die 18va in perigeo Lunæ lapsus repentinus atque insignis per totam, qui etiam postridie continuatur, ita ut Mercurius 2 lineis infra 26 pollices deprimeretur, contra obs. I. & III.

Die 20ma ingens subito ascensus per totam. Die autem proxima in ipso Novilunio æquinoctiali, Lunaque haud procul a perigeo diversante, Mercurius ita hæret immotus, ut a tempore matutino usque ad vesperam vix mutationem subiret  $\frac{1}{15}$  unius lineæ æqualem: cum tamen, si analogæ valeret regula, mutatio tam contingere debuisset plane eximia, ex obs. I. II. III. Die in sequenti 22 da depresso valde notabilis.

Die 23tia ac quatriduo sequenti mutatio exigua. Subsequitur 29na lapsus insignis atque continuus, quem die postera sub meridiem accipit repentina atque ingens elatio, in diem totam 31ma continuata, contra obs. I.

Sed video satis, molestum me lectori futurum, si totam exscriberem observationum barometricarum tabellam, quam novi Eruditorum ubique manibus teri. Itaque lubens prætermitto alia prope innumera, cum ea, quæ dixi, vel sola comonstrarent abunde, mutationes mercuriales vicissitudini æstuum marinorum non tantum non respondere, sed evenire sæpe nimis modo, tempore, atque ordine prorsus contrario.

§ 16. *Mutationes igitur mercuriales, vel ipsa experientia teste, non dependent ab attractione Solis & Lunæ.* Hinc enim si dependerent, modo evenirent æstibus marinis analogo §. 13. Ita vero non eveniunt, prout docet experientia præced. Inde ergo non dependent vel ipsa experientia teste. — Constat itaque & *a posteriori*, id quod velut *a priori* jam demonstravimus §. 12. — Sed jam & alias audiamus experientias.

§. 17. Aliæ quoque observationes docent, mutationes mercuriales ab attractione Solis & Lunæ haud dependere. Paucas assero ex probatissimis auctoribus collectas. I. Regiones æquatori conterminæ variationes mercuriales patiuntur multo minores, quam climata septentrionalia. II. Ita etiam variationes multo minores fiunt in præaltis montibus, quam locis depressoibus; III. minores item per æstatem, quam hiberno tempore. IV. In zona torrida noctu passim ascendere Mercurius dicitur. V. Ut plurimum ante, vel etiam sœvientibus jam procellis, immo quotiescumque percipis ventum aucto impetu supra locum observationis flare, Mercurium descendere videbis. VI. Idem vulgo ante, vel durantibus pluviis, subsidere solet. VII. Contingunt non raro mutationes valde inæquales in locis vicinis; multo scilicet majores in uno, quam altero parum inde dissito. — Hæc jam aliaque phænomena cum attractione regulari atque universali Solis & Lunæ conciliari non posse facile intellexeris, si cogites, mutationem pressionis mercurialis, ex influxu illo cœlesti oriundam (a qua unice omnis demum reperienda foret mutatio barometrica §. 11.), majorem potius esse debere circa æquatorem, quam in regionibus nimium remotis; majorem editioribus in locis, quam depressoibus; haud minorem item (ex Luna saltem, cuius actio est præcipua) æstivo, quam hiberno tempore: si cogites porro effectum attractionis sidereæ accommodari motui diurno utriusque Lunaris, positioni, ac distantiæ ad locum datum (ex §§. 6. 14.) non noctibus præcise, non ventis, & procellis, non pluviis non uni denique præ altero loco, ab ipsis sideribus ad sensum æqualiter prorsus distante.

Pro

*Pro majori confirmatione subjungo experimentum notum,*  
 atque a me per complures dies non tantum, sed etiam hebdomadas studiose iteratum. Adhibentur duo Barometra: alterum apertum atque cum aëre externo libere communicans; hermetice clausum alterum, ita ut aër interior, in Mercurium proxime agens, ab omni prohibetur communicatione externa. Eventus docet, Mercurium in Barometro aperto consuetas subire mutationes, jam ascendendo, jam descendendo; in clauso autem hæc constanter immotum, nisi mutata fors caloris frigorisve ratio mutatiunculas quasdam inducat, easque non Barometro, sed Thermometro respondentes. — His ita positis quæro: Durante hoc experimento attractio cælestis vel invexit aliquam inæqualitatem pressionis relativæ liberum aërem inter & Mercurium, vel non invexit? Si non: patet, mutationum mercurialium, quæ factæ sunt revera, aliam esse causam, ab actione siderea plane distinctam. Si autem invexit, quæro rursus *pro casu ascensus mercurialis*, qui fieri ex dictis haud dubie deberet luminaribus ad meridianum nostrum appulsis: Vel aër tum factus est notabiliter gravior, vel Mercurius levior? Non primum: quia incumbens attractio cælestis aërem potentius sursum attractum per se profecto non facit graviorem, sed potius leviorem; affluxus autem lateralis per se æquilibrium aëreum præcise, atque jacturam amissi pondus reparat §. 9. &c. Non alterum: quia in Barometro clauso proportionalis ascensus non datur, qui tamen dari omnino deberet, Mercurio jam per imminutam gravitatem suam minus resistente, aëre autem concluso efficacius se expandente. Similis quæstio redit *pro casu descensus mercurialis*, quem ex dictis contingere oporteret luminaribus ad horizontem depresso:

Vel

Vel enim pressio aërea tum redditum notabiliter minor, vel mercurialis major? Non primum: quia remota ad horizontem attractio cælestis non minuit, sed auget potius nimis gravificum atmosphæræ nostræ §. 7. Schol. 3. &c. Non alterum: quia in Barometro clauso similis descensus non deprehenditur, qui tamen dato pressionis mercurialis incremento abesse non posset, aëre interno vimirum per hunc ipsum pressionis mercurialis excessum in arctius spatum compingendo. Quidquid ergo dicas, non evades; nec verisimilem dabis ex attractione siderea allati experimenti explicationem. — *Aliter sic argumentor.* Allatum experimentum palam facit, pressionem mercurialem ex attractione siderea variationem notabilem subire nullam. Ex dictis autem §. 10. manifestum est, pressionem columnæ aëreæ respondentis variationem pati haud sane majorem; quæ insuper per affluxum lateralem penitus tollitur §. 11. Itaque variatio pressionis aëreæ, ex attractione cælesti profecta, æque parum, immo minus etiam notabilis est, quam variatio pressionis mercurialis. Utraque ergo plane insensibilis, & prorsus inepta ad producendas mutationes mercuriales, nimiopere persentiri solitas. Mutationes igitur barometricæ ab attractione Solis & Lunæ non dependent.

Scholium. Cum mutationes mercuriales ab attractione Solis & Lunæ nullatenus dependeant, præfigia inde repeti posse nulla patet: & si quis aliquando mutationes illas inter dictamque attractionem forsitan consensus detur, non nisi *per accidens* is dari censendus erit. Unde ergo suas auctor §. 5. in scholio citatus divinationes? Num a Planetis tandem, astris.

astrisve aliis nescio quibus? Sed hoc quoque phantasma ex animis quorumdam juvat evellere.

S. 18. *Nulla Planetarum quorumcunque attractio mutationum mercurialium statui causa potest.* Vires enim Solis & Lunæ, et si simul junctas, valere nihil in Mercurium barometricum notabiliter immutandum novimus ex S. 16. &c. Atqui æque parum, immo minus multo valent vires omnes planetariæ; id quod per partes demonstrabimus, massis simul atque distantiis in computum vocatis secundum formulam generalem

$\frac{m}{d^2}$  S. 6. — Atque initio quidem dicamus de Venere & Marte

qui cum ambo percurrent orbitæ terrestri hinc inde proximas, terræ ipsi in perigeis suis præ cæteris propinquant. — Distantiam medianam telluris a Sole Cl. Hellius definiit novissime = 23708 semidiametrorum terrestrium; *Veneris* autem = 17142 sem. terr. Itaque differentia = 23708 — 17142 = 6566 sem. terr. exprimit distantiam *veneris* a terra in perigeo seu vicinitate sua maxima. Cum præterea moles seu volumen ejusdem *Veneris* volumini terræ sit suppar, densitates item assumi utriusque pares possint, massæ utriusque corporis, rationem compositam voluminum & densitatum sequentes, erunt æquales fere; adeoque attractio telluris in Mercurium barometricum ad attractionem *Veneris* in eundem Mercurium ut 1

$$\text{ad } \frac{1}{(6566)^2} = 1 : \frac{1}{43112355}. — \text{ Distantiam medianam } \textit{Martis}$$

a Sole tabulæ Hellianæ ponunt = 36145 sem. terr. Differentia ergo = 36145 — 23708 = 12437 sem. terr. designat distantiam

tiam

*Sed jam præsens assertio ostenditur secundo. Si dicti Planetæ vel singuli, vel plures simul quocumque tandem asterismo opportunissime conspirantes, proliendi sufficerent mutationibus Mercurii barometrici, æqualem prorsus effectum deberent inducere in massam æqualem aquæ marinæ §. 10. 13. &c. Et quoniam in oceano massa atque altitudo columnæ ejuslibet aqueæ insigniter est major, quam massa atque altitudo columnæ mercurialis, prout dictum est alibi: ex attractione planetaria oporteret evenire mutationes in mari insigniter majores, quam in Mercurio barometrico, atque æstus proinde quam maxime sensibiles. Constat vero ex observatione omnium seculorum, æstus marinos, quos experimur, haud respondere influxui cuicunque tandem dictorum Planetarum, sed actioni potius Solis & Lunæ. Ita jam Plinius, ut taceam antiquiores, Hist. nat. L. 2. c. 97. æstuum illorum caussam reposuit in Sole Lunaque. Præcipuas eorumdem vicissitudines Jll Neutonus ex situ relativo Solis & Lunæ accurate determinavit. Res demum tota plenissima in luce suit collocata summis curis, atque observationibus Academiæ Parisinæ sub initium hujus seculi auctoritate regia per complures annos continuos in omnibus Galliae portibus solertissime institutis (§ 14.), ita ut inde Cl. Jacobus Cassinus considerit tabulas, ex sola inductione & uniformitate observationum, situm relativum Solis & Lunæ unice respicientium, deductas, quarum ope in singulis portibus hora marini æstus intra paucorum saepe minutorum limites prænuntiari una cum ipsa æstus magnitudine possit. Quibus omnibus docemur abunde, æstus marini phænomena influxui Solis & Lunæ tam constanter, exacte, atque unice respondere, ut nullus uspiam alias influxus siderens,*

nulla alia verisimilis caussa fuerit deprehensa. Nihil ergo vi-  
rium Planetis inest ciendi maria ; nihilque proinde Mercurii  
in Barometro immutandi. Nulla itaque Planetarum quorum-  
cunque attractio.

*Id ipsum aliter ostenditur.* Ponamus, si libet, memora-  
tos Planetas influxu quodam suo eas omnino producere muta-  
tiones, quas experimur vulgo in Barometris, quæque in an-  
nos singulos duorum circiter digitorum (alibi plus, minus alibi)  
variationem important. Hoc posito effectum sane proportiona-  
lem ex actione planetaria in aquas marinas quoque transfundi  
necessus est, prout monuimus paullo ante. Eadē igitur at-  
tractio planetaria, quæ Mercurium barometricum attollit ad  
2 digitos, aquam marinam æquibrantem, 32 circiter pedes  
altam, & quaterdecies specifice leviorē attollere debebit  
ad 28 digitos, 2 digitis mercurialibus æquibrantes, ita ut  
altitudines amborum fluidorum cum gravitatibus specificis,  
sicut ante, ita etiam post elationem secundum leges hydrosta-  
ticas reciprocent. Cum præterea altitudo maris ex dictis § 12.  
recte assumatur = 18000 pedum, totam aquarum sublationem  
= x faciendo habebis : 32 : 28 = 18000 : x; adeoque x  
 $= \frac{28 \times 18000}{32} = \frac{504000}{32} = 15750.$  Itaque vis planetaria, si-  
quidem Mercurium barometricum dicatur ad 2 digitos levare  
sursum, aquas oceanii 18000 pedes altas ad 15750 digitos,  
sive ad 1312 pedes 6 dig. elevare dicenda erit. Absurdissima  
hæc sequela communissimæ per omnia experientiæ prorsus  
repugnat cum excessu quodam enormi ultra eam, quæ per  
se septem duntaxat, vel decem ad summum pedes attingit,  
aqua-

aquarum elationem. Ergo falsum quoque & absurdum est ejusdem sequelæ principium; vis scilicet Planetarum tanta pollens in Mercurium efficacitate. Nulla igitur Planetarum &c.

Scholium. Quamicunque demum ex verisimilibus maris altitudinem assumas, dictæ sequelæ absurditatem non effugies. Fac enim vel dimidiam ejus, quam nos diximus, maris profunditatem  $= \frac{18000}{2} = 9000$  ped. Consequetur nihilominus

$$\text{aquarum elatio} = \frac{1312\text{p.6d.}}{2} = 656 \text{ ped. 3 dig. contra omnem}$$

experientiam &c. — Eadem difficultas manet, etiam si mutationes mercuriales non solis Planetis, ut caussis sufficientibus, sed ut partialibus tribuas, id est, Planetis una cum Sole & Luna agentibus. Nam ex dictis patet, corpora cælestia quæcunque tandem ( seu singulatim, sive coniunctim ), quæ attractione sua Mercurium barometricum attollunt ad 2 digitos, debere aquas marinas 18000 pedes altas attollere ad 1312 ped. 6 dig. &c. — Plura, quæ influxui planetarum in mutationes barometricas adversantur, colligere licet ex tabula observationum § 15. quæ docet, Mercurium totos sæpe dies eosque continuos jam ascendere; diu alias hærere immotum, alias repente mutari; ferri hodie sursum, postridie mox denuo deprimendum &c. Quæ quidem omnia cum cursu regulari, ac motu diurno Planetarum haut sane consentiunt. — Eodem modo influxui planetario adversantur experientiae omnes, quas §. 17. commemoravimus,

§. 19. Ex rationibus §. præc. contra influxum Planetarum allatis aperte conspicitur, *æque parum*, immo minus multo *in Mercurium barometricum posse cetera quæcunque sidera.* Ac *contra Satellites planetarios* quidem specialiter pugnat respectiva massarum exiguitas; *contra Cometas diurna nimis remotissimaque a tellure absentia;* *contra Fixas item* enormitas distantiarum: ut alia omnia prætermittam, quæ ex dictis possunt huc facile transferri.

§. 20. Cum igitur a nulla quorumque tandem siderum attractione dependeant mutationes mercuriales in Barometro, prout a nobis hactenus fuit expositum; aliæ autem caussæ, quocunque te vertas demum, cælum omne atque etiam terras lustrando, nullæ occurrant satis opportunæ præter illas, quas §. 3. recensuimus: *ab iis ipsis pendere mutationes barometricas contendimus*, tum quod aliæ non reperiantur satis idoneæ, hæ autem ut tales a Philosophis communiter agnoscantur, atque notabilem pressionis atmosphæricæ mutationem inducere ex natura sua omnino & possint & debeant (§. 5.); tum quod ex iisdem, saltem ut simul ac diversimode agentibus, phænomenorum omnium barometricorum ratio reddi queat haud sane incommoda: quod cum ab aliis abunde sit præstitum, actum agere hoc loco non libet.

Scholium. Illud non nego, in casu particulari ægre non raro definiri, quænam ex dictis potissimum caussa agat, quibus aliis simul concurrentibus hæc eadem adjuvetur, quantumque conferant singulæ ad variandam pressionem aëream. Interea cum perspectam in genere habeamus sufficientem caufarum

sarum illarum aptitudinem, ex ipso effectu licebit inferre, agere saltem aliquas ex iisdem, seu plures sive pauciores, et si forsitan pro casu quodam particulari difficilius assignandas.

§. 21. *Difficilis causas mutationum mercurialium periodice seu statim temporibus haud agere noverunt Physici omnes, quippe quibus compertum est, vim ventorum variamque directionem, caloris frigorisve gradus, exhalationis atque evaporationis rationem, nubium ac tempestatum conglomeracionem atque exoneracionem, aliasque similes atmosphæræ nostræ vicissitudines pendere a diversissimis, iisque innumeris accidentibus, nullo certo ordine, nullaque stabili temporis ege, hactenus saltem cognita, recursare solitis.*

Scholium. Ipsum adeo ventum illum orientalem, zonæ torridæ perpetuo adspirantem ( Hallejo si credimus, cui quidem aperte contradicit Cl. de la Nux , diu ipse testis oculatus ) neque a periodica Solis & Luuæ attractione, neque a diurno telluris motu, sed ab aliis adjunctis, iisque irregulibus proficiisci, accuratissime ostendit Cl. Paulus Friesius in laudato alias opere de grav. univers. L. 2. cap. 10. &c. — Illud hic disputare non vacat, fitne spes prudens super retegendi suo quounque tempore periodos quasdam fixasque regulas, quibus irregulares, quas diximus, causæ constringantur. Mihi sufficit, eas ipsas causas hodie saltem inter periodicas recenseri non posse.

§. 22. Quoniam causæ illæ phænomenorum barometriorum, si vel singulas spectemus, nullam sequuntur legem per-

rio-

riodicam §. præc. ad mutationes autem mercuriales producendas non una tantum ex iisdem caussis, sed plures sæpe aut omnes simul eæque omnes non nisi accidentaliter atque irregulariter agentes, concurrere possunt (§ 20.) extitrum inde eventum patet non posse esse nisi penitus incertum, ita ut easdem mutationes cum securitate prædicere vulgo hautquam liceat. Certe enim prædictio effectus futuri supponit caussam certo cognitam, certoque futuram, adeoque vel constanter applicatam, vel per periodos saltem seu statim temporibus applicandam: id quod contingere novimus in Eclipsibus terræ & lunæ, fluxu item ac refluxu maris, aliisque similibus; non item in mutationibus barometricis, quas a caussis pendere non nisi irregulariter agentibus dictum est.

§. 23. Sub finem responsa ad quæstionem in fronte præfixam in pugnum contrahimus. I. Mutationes Mercurii in Barometro pendent ab accidentalibus, neutiquam vero a periodicis & statim tempore recurrentibus caussis §§. 20. 21. II. Ex quo ultro consequitur, caussam periodicam, cum habeatur nulla; nullam posse assignari. III. Ipsa quoque gravitas seu attractio universalis tam Solis & Lunæ, quam ceterorum quorumcunque corporum totalium, nihil potest in Mercurium notabiliter immutandum. §§ 16. 18. &c. IV. Mutationes demum mercuriales ea fiducia prædici haud sane possunt, qua Eclipses terræ & Lunæ, fluxum ac refluxum maris definimus. §. præc.

Des

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Abhandlungen der Bayerischen Akademie der Wissenschaften - Mathematisch-naturwissenschaftliche Klasse](#)

Jahr/Year: 1785

Band/Volume: [4-1785](#)

Autor(en)/Author(s): Stark Joseph

Artikel/Article: [Josephi Stark Dissertatio De Mutationibus Mercurii In Barometro 187-230](#)